11.

114

S. D. N.
D. PAVLI
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE V.
REVOCATIO
Licentiarum ingrediendi Monaſteria Monialium ſæcularibus mulieribus hactenus conceſſarum.



ROMAE, Ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ MDCXII.

PAVLVS PAPA V.



AD FVTVRAM REI MEMORIAM. Monialium ſtatui, quæ ſecularia deſideria abnegantes, Dei obſequio ſeſe addixerunt, paſtorali ſollicitudine conſulere cupientes, ad ea remouenda, quæ religioſam earum quietẽ, & regularem obſeruantiam perturbare dignoſcuntur, curam noſtram libenter intendimus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Quoniam itaq;, ſicut accepimus, experientia compertum eſt, non leuia incommoda licentias ingrediẽdi monaſteria Monialium mulieribus ſæcularibus conceſſas dictis Monialibus inferre; Nos malis huiuſmodi opportuno remedio prouidere volentes; Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, deq; Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes, & ſingulas licentias ingrediendi monaſteria Monialium vbiq; locorum exiſteñ, ac cum Monialibus conuerſandi, & refectionem ſumendi corporalem mulieribus cuiuſcunq; ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus, etiam Marchionali, & Ducali dignitate fulgentibus, ſub quibuſcumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; fortioribus, & efficacioribus, ac inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis ad tempus, vel in perpetuum à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, & etiam à Nobis conceſſas, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus haberi volumus pro expreſsis, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium reuocamus, caſſamus, & irritamus, ac reuocatas, caſsas, & irritas eſſe decernimus. Inhibentes mulieribus prędictis licentias huiuſmodi habentibus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, à qua non niſi à Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquàm in mortis articulo, abſolui poſſint, ne monaſteria prædicta prætextu licentiarum huiuſmodi ingredi audeant, ſeu præſumant; ipſorum verò monaſteriorum Abbatiſſis, ſeu Prioriſſis, ac Superioribus, ſub eadem, ac priuationis ſuorum officiorum quæ obtinent, & inhabilitatis ad illa in poſterũ obtinenda ipſo facto ſine

alia

alia declaratione incurrẽdis pęnis, ne eas introducere seu admittere, vel admissas quoquomodo retinere audeant, seu præsumant. Quocirca dilectis filijs nostris, & Apostolicę Sedis pro tempore existentibus Nuncijs, ac Locorum Ordinarijs, necnon dictorum Monasteriorum Prælatis, & Superioribus præcipimus, & mandamus, quatenus præsentes literas publicari, & præmissa omnia obseruari faciant; Contradictores quoslibet, ac præmissis non parentes per prædictas, & alias sententias, censuras, & pœnas, aliaq; iuris & facti remedia opportuna, appellatione postposita compescendo: inuocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstañ præmissis, ac quibusuis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cęterisq; contrarijs quibuscunq;. Quia verò difficile foret has litteras ad omnia loca deferri, Volumus quòd earum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis eadem prorsus fides adhibeatur, ac si essent exhibitę vel ostensæ. Dat. Romæ, apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die 10. Iulij. MDCXII. Pontificatus Nostri Anno Octauo.

S. Cobellutius.

Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi Millesimo sexcentesimo decimosecundo, Indictione decima, Pontificatus Sanctissimi D. N. D. PAVLI Diuina Prouidentia Papæ Quinti, anno eius Octauo, die verò xij. Mensis Iulij. Retroscriptæ Literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ per me Brandimartem Latinum Apostolicum Cursorem.

Virginius de Virginijs pro Mag. Curs.

